... es Casimirus

Słuszka Boguslai: Campus Martis et Palladis —



CAMPVS
MARTIS & PALLADIS

In quo ille

PERILLVSTRI SPONSO

D. D. IOANNI CASIMIRO CHODKIEWICZ Regij Stabuli M. D. Lith. Præfecto

Illustriss: Dñi D. CHRISTOPHORI CHODKIEWICZ CASTELLANI VILNENSIS &c. &c. FILIO CARISSIMO

IMAGINES Heröum Auorum:

ISTA

PERILLVSTRI SPONSÆ

DÑÆ D. SOPHIÆ PACIÆ

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. STEPHANI PAC VICE-CANCELLARII M. D. L. &c. &c.

Et Illustrissimæ

DOMINÆ ANNÆ MARIANCILLÆ RVDOMINIÆ DVSIATCIÆ PACIÆ VICECANCELLAR &c. &c.

FILIÆ CARISSIMÆ.

FLORILEGIVM

Ad festum nuptiale proponit & offert.

Per BOGVSLAVM SLVSZKA Palatinid: Minsc: Auditorem Poëseos Academiæ Vilnensis Societatis IESV.

VILNÆ, Typis Academicis eiusdem Societatis IESV, Anno Domini M. DC. XXXVI.


Tela, Tubæ, Soleæ, Cum Casto Lilia flore,
Asciaq; æquali fœdere iuncta vigent
Vnde queunt duro Sociari Lilia marti?
Stemmata nempe suos Concomitantur Heros
AD EXEMPLVM
ANNO
1·6

ENCOMIUM.



Abet nescio quid cum sole fortuna arcani, Illustrissime Domine, vt radijs ille semper in altum crescentibus assurgat, maturamq; faciat diem: lineis ista exiguis veluti calamo quodam magnorum laborem ordiatur. Ita licet Cœlo & fortunæ in summam à paruis crescere magnitudinẽ, & in compendium primo stringere exile satis robur, quam dare orbis vniuersi consensum. Mutauit feliciori iam fortuna titulo in Illustrissima auitæ domus Chodkiewicianæ calculum dum à lucta auspicium exorta est: & laboriosâ satis viarum molestiâ ex nouo composuit sudore virtutem. Vidit orbis primum illum palæstritam vestrum adeò viribus excelluisse, vt nomine luctatoris insigniretur. Magnus enim Cham Scytharum Imperator viribus imperium dum nobilitare suum nititur, Vitenes Principi M.D.Lith: submisit duos, qui robore & Herculi formidabiliores extitissent. Inuictos Polono dedisse se viros gloriatus orbi est? quasi vltra solem quærenda manus quæ terræ allideret viros. Sed vtriq; fecit vnus satis, & qui plantâ solùm terram contingere gaudebant, exanimati siluêre Gigantes ab vno & sanguini triumphum vestro obtulêre. Sed generoso leue illud pectori, barbaros viribusq; solidos sternere viros, quod humeros pridem iam Principi Viteni dedicauerat, quem proprijs sublatum morientem iam densâ nemorum in indagine humeris animauit. Virtutem æmulus subitò comitatus honor est. plantis enim oblata fidelibus hæreditas est: vt suam ipse sibi terram pedibus metiretur, & virtuti mercedem suæ ipse destinaret. Certauit nunquam lassatus ardor, & à forti nomen sortitus viâ est. No-

B uum

uum mirari liceat Palladium, quem admirabunda reuerita olim Roma est, vt in angustos redigi potentiæ suæ fines extimuerit? Ne summi crescens viatoris ardor, qui vim acquirit eundo, limites plantâ metiretur. Bonum ominari fas sit, à viribus & viâ Illustrissimus Chodkiewiciorum Sanguis virtutem orditur, & nomen. Nutrita alieno virtus robore in altum adeò assurrexit, vt magnus venerari Cham Scytharum Imperator cogeretur. Nouum plusquam suspexit Herculem dum binos iacere luctatores gentis suæ aduerteret. Habere iam Cœlum conclusit Polonum, quod & duos contraire, qui possent, aleret viros: & qui præsagam solidauerat in luctatoribus suis laudem stuporis erigeret in exanimi trunco simulachrum. Rectè olim in turri Pharo Zeno Philosophus, eliso palæstritæ Spiritu, non alia in re felicitatem consistere asseuerauit, quàm si quis robore & dexteritate polleret. Viribus ille felicitatem non virtuti integram cócessit gloriam, quæ nec ipsis violanda fatis, nec in ipso occasu mundi ferali premenda lapidi permittitur aliquando. Non signata tantùm leuiterque impressa vestigia sed æternitati fixa in Illustrissima hac domo Orbis intuetur monumenta & TV florentem breui hac sanguinem tuum in litera oculis & animo acceptabis. Vehementer errant illi qui totum permittunt robori, virtuti nihil, vbi mancam se orba maiestate gloria profitetur. Quærenda non roboris tantùm, sed virtutis bellicæ nota est: fortiorem enim videbis Leonem. nisi cum Euchemo Arcade luctari etiam cum fera licebit ex oraculo. Et sæpè vbi magnæ solùm vires, ibi magnus hostis est. Et interdum ex æquo Fortuna indignans leui Giganteos confecit prælio viros. Herculem viribus arduum, vis latentis mali vicit. Milonem cognitum palæstris, arbor vna detinuit, lacerandumq; feris obtulit. Sed iunctum virtuti robur, illustre donat orbi testimonium, vt extensa subsidio tali fama, inui-

inuictam se proclamet. Vidit Patria in atroci crebrò rerum facie virtutem Vestram robori connexam, dum strenuè morientem CAROLVM Chodkiewicium suspiceret, cui angustus Orbis latiorem æternitatis donabat Scenam, qui incunabula & rudimenta sua per arma exercuit, & iuuentutem non in otio & delitijs, sed asperis militiæ laboribus vincendo transegit. Militem ibi iam ducemque cunæ efformarunt, prætexta solidauit, sagum compleuit. Jucundum in Adolescentiæ lubrico armis distrahere animum fuit CAROLO, tenerum Marti vouere, classicoq; caput. Habuit viridis adhuc flexus ille ætatis rudi in campo bellantis indices notas, quæ in vocabulo iam gesserant magnitudinem, vidêre cunas, sudores, vigilias amici, & lanugini adhuc cruentas destinauerant arenas. Ita innocuum iam victorijs scribebatur ferrum. Festinata satis laurea est, quæ virtuti dabat suffragio imperium. Si Cononis exercitatus staret puer hic in oculis, cùm & puberes armarentur contra Athenienses, & numerus militum sine exercitus robore expleretur, veteranis prærogatiua adimeretur. Habes vnde Generose de clarissimo assurgas viro sanguis, cum pridem posteris maiora iam & æternitati tradideris. Intuere si tales puerilis iam diligentia CAROLI indagat nisus, quid Illustris allatura sit virtus, conclude. Sed virtutis maturi præcones orationem inuitant meam. Vidit Patria quàm arduam humerisq; laboriosam susceperit prouinciam, dum vniuersale vtriusq; occupauerit gentis nostræ regimen. Impotentem se Luna Otthomanica confessa tum est. decuit ita, cui lux de corpore, ac virtute non suffecit, admirari. Vidit puluis Martius & firmos ita habere lacertos CAROLVM, mortiq; deuotum notauit animum. Summis itineribus properantem retardare nefas fuit ducem, tantâ vi, tantoq; successu, mendicam aggressus lunam est, vt distracta viribus in sua ferire

 viscera

viscera cornibus suis attentaret. gladio CAROLI imbellis polita luna, tum lucere sibi magis visa est, cum se impotentem campo demonstraret Polono. Gloriosum non extolli arbitrata est, sole in aciem superueniente nouo. Sed cum Cœlo & Numine Sol bellauit hic, qui victoriam adnotas, astra oculis CAROLI delineata, admireris. Sapientibus hoc insitum mentibus est, vt & astris imperent, & felici vsæ cœlorum commercio, nobiles in alto sepeliant curas. Eximium ibi castrorum locare collegium vbi testes victoriam cœli describunt. Vidit supernus crebrò animosum Orbis Ducem, proprios armatis seuire in lacertos manibus. & spectare non oculis cum hoste dimicantes animos, sed cateruatis Victoriam fatigare lacrymis. Nouum prœliandi CAROLVS reperit modum, qui ferrum non ferro, sed sanguine proprio animauit: qui tum victoriam descripsit cum se acriùs vidit purpureum. Laboriosus cedat hinc pictorum linearumq; labor; nouam è cœlis CAROLVS aduocauit Victoriam, quæ proprijs exornata gemmis admirandam se hostibus, & Patriæ clarissimam professa est. Vidisti ô præpotens Polonia, ac Lithuania Zamoyscios, Koreccios, Zolkieuios, & innumeros armis nutritos viros Spectasti labores omnium: Barbaris alere te viros ostendisti, & Marte crescere Poloniam docuisti. CAROLVM menti altissimè infixisti tuæ, quem victorem SIGISMVNDO III. præsentasti: facem belli, sanguine authoris extinctam manibus ciuium obtulisti. Fœcundum laureis mirata es, quia Inuictissimi VLADISLAI nutibus feliciter ire CAROLVS didicit. Vinci nequit qui Inuictum secutus est VLADISLAVM. Nunquam mori illum in Martio cognosce illius animo: perennis est, quem in cogitationes suas artifici clarum ferro admisit. Fortissimum ibi Duces collocate munimentum, vbi erecta meditari de vobis purpura non

non dedignatur sed vestris rubicundior illa fit à victoriis? hostium irrorata lætior à sanguine resurgit. Dulci recipit illa complexu duces qui sudorem & sanguinem ab hostium ceruicibus hauserunt. Vbi meliùs & iucundiùs Poloniæ vixit laus, quàm Marti deditis in manibus? vbi in vtramq; tutò dormiuit Patria aurem, quàm vigiles ducente excubias Argo: Ducibus inquam, quêis custodia somnus, vigiliæ salus, consilia in angustum coacta, securitatem finibus componentia. Tibi Dacus asper ingenti licet coronatus à manu, & victoriam verbo delineans, truces tamen Martis in orbitam prodire enses, non passus est? quoties supplex fatis & armis coronatus, armorum orauit quietem? quia vepribus CAROLVS terrebat densis, quibus suum fossis veluti quibusdam circuibat corpus, & immani coronatus sente, non viduatâ iaculator pharetrâ, Daci reprimebat impetum. Nouum claustris & eremo decantandũ assumpsit opus. Ita Illustris CHODKIEVICIORVM sanguis spinas iam in corpore intuetur CAROLI: sed eo Illustrior, quo vepribus ornatior. Nouit enim tuta confinio gaudere veprium rosa, nec vepres existimatote, sed in palmas degenerasse victorum sentes, vbi fingere ingeniosè Nobilis sanguis Vester, & triumphum de spinis nouit, cælesti enim Augustæ Virginis Matris, roboratus suffragio CAROLI sanguis fuit, vnde consummationem victoriæ superi cum morte Duci dedicarunt, stantem mori Ducem oportet, dixit ille. Rarò dulcis fortem excepit Imperatorem lectus, quem lorica aspera enutriuit: nunquam lacrymis recepit Mater orba filium, quem fidissimo amoris sacramento Patriæ inseruerat. Ita CAROLVM Illustris excepit sanguis vester, & Nobilem de suo gemmam clenodio æternitati consecrauit. Nunc si fas est, triumphet Roma Decijs? gaudeat Mutiis, qui manum in flammis expiarunt? Inclamet de Horatio,

 & Ty-

& Tyberim habere in scuto affirmet, ita amplum viris fortibus scutum donatur, quod publicam tueri semper noscat libertatem. Gaudet Nobilis sanguis Vester Illustribus semper Heroïbus, quos & facundi licet percensere si attentarent oratores, laborarent. Vobis liquidò illud Sarmatici Vatis nostri famulatur elogium.

Gaudet cruentis dextra periculis
Lassare Fortunam duello, &
Per medias docet ire mortes

Fata seruire didicêre vobis, & secundos auguria semper habuêre exitus. Plenum terroris opus, in conciliandis syderibus fuit, vobis sydera semper amica extitêre, Nullus volubilem prehendere Fortunam ausus est: Luctari nullus forti cum lacerto illius attentauit: Sed iratam reuereri frontem semper discit orbis, & iugo dare colla non erubescit. Suspicere aliis, Vobis lassare fortunam acri fas est duello, quia virtute omnia perfecistis. Sed dum vnum laudo CAROLVM, vos consanguineo notatos illius in pectore animaduerto. Quis singula vel hac breuitate percurret? Quis Nobilem illum oratorem Joannem CHODKIEVICIVM Ducem & Marschalcum M. D. Lith: totius Rossicæ gentis ad altum Petri subsellium, enarrabit satis? vbi pia SIXTO IV. vniuersali orbis capiti vota, & Pontificiorum pedum oscula, triumphalibus prætulit laureis. Nulli arcana pectorum tutius commisêre, quàm JOANNI? nulli gloriosius submisêre quàm augustis pedibus? Admirata Roma, arx illa orbis, vniuersam in vno inclusam JOANNE CHODKIEVICIO gentem. Quam dulci fouit sublime illud diadema CHRISTI filios affectu nouos, dulciq; percensuit virtutem amore, & nobilem elogio gentem illustrauit. Felix dexteritate pari absoluta via est. ire enim & laudabili semper passu Nobili CHODKIEVICIORVM sanguini conuenit. Et oratores,

tores, & Martios nouit sanguis hic habere vester viros. Vidit orbis ille HIERONYMUM CHODKIEVICIUM ad Christianum Cæsarem à Rege Augusto legatum, vbi virtus adeò effloruit vt primum sibi in animo Inuictæ Maiestatis locum cum S. R. I. Comitatu oblato occupauerit. Habet & clausa virtus aculeos, & licet vatis iuxta decretum, ipsa sibi sit pretium.

Attamen inuitam blandè vestigat & vltrò
Ambit honor.

Premere gaudet & vltimos virtutis Honor gradus, inde enim eiurare seruitutem nouit, & perennem assumere dignitatem, cum augustiori copulatus virtuti Honor erigatur colosso. Socium virtuti Honorem vestro semper Regum apices stupuêre in sanguine, & Regiè complexi sunt. Ita summum virtus sortita vestra est, vt & altis inseri auderet coloribus. Magnus quærit semper animus, vbi se experiatur, virtutem vbi suam ostendat. Scio Jawnakam Joannis CHODKIEVIECII Palatini Kiiouiensis consortem, tori, Jagellonis Poloniæ Regis neptem extitisse. Heroïca sceptro etiam arrisit virtus vestra, vt suum & sanguinem sine parsimonia communicaret. Vim inferre ne tenta liuor edax domui tuis occumbes telis? virtuti enim & generoso nefas hîc derogare sanguini Firmissimis stetit semper passibus, & suo effulsit labore gloria. qui gloriæ inuides, labori & operi insudes oportet. Macte hâc generose CHODKIEVICIORUM sanguis innutrite notâ? vbi concordem in TE videmus & Martis & Aulæ symmetriam. Posuisti cum clauâ calculum, nouo Romam, Imperiumq; spectaculo implesti, honoratis aulam exercitiis, Regumq; oculos satiasti, nec hodie implere desinis. Te Illustrissime Castellane Vilnensis alloquor in cuius vultu Patriæ lego, Regisq; amorem? quid non agis, quæ impedimenta non inuadis, vt gloriæ aditum, virtutiq; tuæ præpares scenam.

Quid enim volunt illæ rebellem contra Moſchi Aquilam ſubſidio Patriæ armatæ manus expeditæ? Tuæ niſi virtutis ſimulachrum. Dulcis numerauit, ſignoq; tuo ſuum Patria impreſſit animum? ſuum SIGISMVNDVS III. Tibi amorem donauit, & intimis fidem viſceribus conceſſit. Ecquis fideli negaret amorem dexteræ. Vidit primum Te occupare muros Parnauiæ Liuoniæ, primum aſcendere, triumphi vocem attollere, vexilla erigere. Muros iam conſcendere hoſtium virtus TVA didicit, & in altis erigere dexteram coloſſis. Quis muralem decernere Tibi coronam non audebit? Quis vigilem Te in muris excubitorem Patriæ, non euehet præconiis. Quantas videmus Te habere dexteras, quàm fidele Marti cor. Sed luctatores vos pridem iam virtus in origine Veſtra decreuit. Quis & hodie ſollicitam quam in pace reddis Patriæ curam deſcribet. Silentio venerari magna ſæpè ſciunt facta oratores, cum viuus eloquentior in factis Heroum luceat orator. Ire veſtrum ſemper ſanguinem decet, luctari, ſuperare vias neceſſum eſt: humeros formare Patriæ vobis conſonum eſt: quia à forti ſymbolum Nobilis recepit ſanguis veſter. Veſtros ſcite humeros, ſolis ſeruire debere Principibus & Patriæ. Magnum humeris opus eſt geſtare Ducem & victorem ſuis imponere lacertis, CHODKIEVICIANO dulce ſanguini eſt. Securum Principi Viteni quærere locum virtus attentauit, in veſtris optatum reperit humeris theatrum. Ingemuit olim ille vnâ fatigatus à togâ, & aculeis plenam affirmauit, nec humo attollere auſus eſt? Quid ſi Principis laſſati pondus tollere attentaſſet, expiraſſet. Validos vobis metata virtus lacertos eſt, qui labore nutriuntur: quêis negotium pro quiete, arma pro Pace, orbis pro theatro eſt. Quod lucem noctemq; hominibus, ita omnes terras fortibus, natura aperuit, vt certandum in puluere, & ſudandum in theatro ſemper ſit: Enitendumq; eſt, vt gloria ſanguini, formido hoſti-

hostibus ingeneretur. Scis Osmanum Byzantinum Imperatorem fortis adeò CAROLI CHODKIEVICII, etiam post fata, Iconem aulæis intexuisse suis, ita barbarus virtutem quàm in viuis formidabat, in mortuo reueretur & hodie CHODKIEVICIO? discit imbellis sternere hostes magistrâ ab imagine? & à mortuo CAROLO virtutem proprium barbarus transponit in animum. Sed nemo verior illi Dux, quàm mortuus est: si tamen mori dicendus est is, qui immortalitatem complexus est & quem fama veris rumoribus fœcunda euulgauit orbi. Silere iam & admirari liceat, nec amplis prosequi laudes vestras notis? Exilis enim est CHODKIEVICIANO litera robori. Pericles hic fulmine licet armatus cum dulci sileret Tullio. Sed dum attonitus hærere volo, à duplicatâ subito luce inuitatus, ire coactus oratione sum. Video enim virtutem lucemque iungi cum Illustrissimo PACORVM sanguine. Felix iungit omen TELA LILIIS, quæ in campo publicâ religione consecrauit sæpe virtus, & in aulæ tropicis educata, tanquam in vera ac liberali schola eximiæ commendauit dignitati: quæ publico Reipub. Sigillo sibi deuinxit, & hodie in Illustrissimo Procancellario, relucet. Vbi compendio omnium notauit simul LILIVM animos. Pulchrum iungi talibus, gloriosum TIBI. Quis enim suauem LILII dignitatem non ambiat, si Illustrissimo PACORVM sanguine irroratum cognouerit, & candore, lacte veluti nitentem suspexerit florem, Magnis hoc semper in altum iuit LILIVM viis! fuit cordi Patriæ, amori Regibus, exemplo ciuibus, terrori hostibus. Admirabunda suspexit crebrò Polonia LILIVM per SAMVELEM PAC M.D.Lith: Vexilliferum, vbi nasci & vexilla in LILIO vidit. Graue Ponto & Gustauo Horn attactu fuit LILIVM, quia viduata signo hostilis remansit in acie virtus, & impotentem se flori gladius

D demon-

demonſtrauit. Gentis noſtræ decus eſt? & LILIA pugnare poſſe & triumphare, cui nec præſaga bellorum fulmina nocuêre iacta, quia adamantinis PACORVM ſtetit LILIVM ſemper viribus. Hoc Illuſtriſſimus CHODKIEVICIORVM ſanguis TELO inſerere ſuo, Duce Hymenæo attentat. Paribus ite viis. Scis enim duplici eum viuere vitâ, qui ſempiterna aliorum facta in commercium amicè tranſponit ſuum: ita Nobiles vinctæ ceræ vno contentæ animo ſunt. Quid ergò tam Magnificis incrementis illuſtrius? quid nexu & ſanguinis liberalitate amplius? quid venturæ poſteritati quæ ad celebrandos ſuccedet vos, acceptius contingere poterit. Nihil hic Fortunæ & edaci licebit tempori, quia prolixè cumulateq; virtute excitata trophæa ſunt, columnis inciſæ laudes, coloribus excitatæ. Hæredem ex aſſe, Illuſtrem Muſisq; amicum ſpectas Filium Parens, quem artium in luce educaſti; Hanc à Te liberali effuſam manu gratulatur ſe accepiſſe hæreditatem, quæ ſubitò otioſa eſſe non potuit, ſed virtutis documento in VLADISLAI IV. oculis florere per dignitatem oblatam cæpit. Magnus eſt qui oculis placet huius! Nemo enim niſi bonus arridet. Donaſti Regalibus filium oculis, Illuſtriſſimo dediſti PACORVM ſanguini mille coloſſis diuiti Hæredem Tuum, Patriæ futurum ſimul Propugnatorem conſecraſti. Votis ariſêre iam ſuperi. Quare in Nuptialis pompæ applauſu, in felici SAGITTÆ VESTRÆ cum LILIO fœdere, magnum ſibi iam Patria lumen, nobilem Regum ſceptra manum, iucundam amici de nexu & voluntatis vinculo notam augurantur.



FLORILEGIUM

in quo

Gryphs CHODKIEWICIANVS, in Vernantißimo PACORVM viridario Lilia demetit.

NOn ſemper flexiſſe arcum bellator Apollo
Viſus, & ignitas pharetrâ torſiſſe ſagittas:
Imbellem quandoq; lyram, cytharamq; loquacem
Attigit, & querulas animauit pollice chordas.
Gryphs armis, & Marte potens, capuloq; timende,
Quem formidandum populis, orbique ſtupendum,
Sæclorum monumenta canunt, quem nuper ouantem
Laudatrix Operum fecundo Patria amore
Excepit, meritamque dedit pro munere Laurum,
Te pariter ſopiſſe minas, mulſiſſe pericla
Conuenit, atque truces gladij poſuiſſe furores.
Immortale iubar Gradiui, docte tubarum
Armorumque Parens, gladium, quo Martia pulſas
Agmina, quo firmas portas, quo mœnia vertis,
Florilegis muta ſtudijs, & Marte repôſto
Inſtrue manſuetis animos floreſcere ſertis.
Sic noua belligeræ prœludes prœlia genti.
Sat bellis, Martique datum: nunc florida bella,
Bella tuis molire potens in finibus Heros.

E *Poſt*

Post profligatas gentes, post strata cruentis
Prata cadaueribus, post lotas sanguine plantas
Florida bella moue, lætis cape Lilia plantis:
Ad calthas, violasque redi; iam Mucro cruentus
Defluat, & toto tumulentur prælia Mundo.
Æthereos vltra tractus, vicinus Olympo
Hortus iactat opes (nec enim vulgaria credas
Culmina, vel triuios redolentia prata corymbos)
Felix ille locus, diues cui Flora perennes
Inspirauit opes: nullis hîc purpura pratis
Vlla viret, nullis redolent opobalsama campis.
Nullis fœta nitent violaria ditia calthis,
Sola sed effictum candenti Lilia culmo
Argentum ostentant, pro florum mille viretis
Lilia sola micant, sola implent Lilia terras.
Hîc dum Phœbus equos Eois flectet ab vndis,
Pura tenebrosis ostentans lumina terris,
Hortus lucifera vestitur lampade primus,
Luxuriat radijs, & de meliore nitore
Ante alios haurit. Quid cantem cætera? circùm
Labuntur roseis crystallina flumina ripis,
Queîs crinitur ager, queîs Lilia pota, decorùm
Increscunt, germenq; suum mirantur, opesq.
Crede mihi, hoc mallet nasci Cytherea profundo,
His se spectaret melius Narcissus in vndis.
Pimplæos credas latices, Cyrrhæq; beata
Flumina: sic surgunt vernantes flumine glebæ.
Hinc venti, nymbiq; procul, procul exit abactus
Æolus, & solo viuunt Titane colores.
Informis Cœli facies, rugæque molesti
Aëris hinc fugiunt, & regnat mitior aura.
Areolas etiam certo moderamine, certis
Distinxit Natura locis: quà vergit ad Ortum
Hortus, inauratas ibi reddit gleba sarissas,

Altera

Altera cuspis humum, petit altera cuspis Olympum,
Vtraque candenti florum vestitur honore.
Quà sed Hyperboreum prospectat gleba Booten,
Inuictis illic crucibus redimita sagitta
Fulget, & augustis vernans in floribus albet.
Hic vbi adæquatâ dispensat lumina lance
Sol medius, ternos cernes fulgere cruenti
Gradiui Lituos, plenis ibi Lilia culmis
Turgescunt, plenoque nitent violaria nexu.
Hesperias demum, quà sol se condit in vndas
Occiduus, tali glomerantur gramina cirro,
Qualia dimidiæ sinuantur cornua lunæ,
Ostenduntque Polo vultus: at stella decoris
Aurea luminibus, medijs in cornibus hæret.
Ergo floriferum postquam descendit in hortum
Gryphs, & odoratis spectandum se dedit agris;
Mirantur longè flores, iuxtaque volanti
Assurgunt, ipsumque stupent, & Lilia plenos
Acclinant culmos, & pulchro vertice flectunt.
Ille autem tacito metitus singula visu,
Singula miratur, cognoscere singula vellet
Lilia, Virgineisque oculos implere ligustris.
Quique prius roseo debacchabatur in imbre
Cæde superbus adhuc, & honori puluere belli
Hostiles fortis patrio mucrone phalanges
Dum meteret; nunc prata nouo candentia cursu
Lætus obit, ridetque suo in mucrone, cruentæ
Exuuias cædis, Martisque insana pericla.
Area prima placet rutilis effictа sagittis,
Ductilis ignoto frondescit virga metallo,
Purpureus, niueusque nitet pro lumine cortex,
Auricomisque simul folijs, bis terna refulgent
Gramina, & in croceos ardescunt prata nitores.
Ollis tantus honos, quantis vel in igne Smaragdis,

Demersis, vel Pactoli felicibus vndis
Casta ibi virgineis turgescunt Lilia culmis,
Candenti mage cana gelu, mage cana ligustris:
Vna sagitta fuit; crucibus circumdata binis,
Lilia sed crucibus non impare lumine certant.
In folijs tituli illustres, Heroaque gratis
Cernere erat monumenta virûm descripta figuris,
Nomina, & antiquo numeratos ordine fastos.
Ista SAPIEZANÆ victura insignia gentis
Quêis illi cœlum, quêis ornauêre virentis
Virtutem Patriæ, cognato fœdere magnas
Irrupêre domos PACORVM: iungis auitas
SAPIEHA Magne faces, cum Religione paterna
PACORVM: de qua Magnus surrexerat olim
Antistes, qui clara tuas SAMOGITIA mitras
Gessit, & Ausoniam proprio splendore refecit.
Huius in ambrosio immortal a nomina flore
Scripta vigent: quæ Gryphs patulis obtutibus haurit,
Miraturque simul, tanto de germine, tantum
Increuisse decus: patulas tum voce canora
Diduxit fauces. CHODKIEWICZ casside clarus
Fulget, ait; totamque implens victricibus alis
Illustrat Patriam: tot Martia pectora, tantis
Ornantur trabeis: semper Samogitica tellus
His subiecta viris. Primus non tempore, magnæ
Laudis at indicijs CAROLVS, pulcherrima torui
Progenies Martis, quo turbine torserit hastam?
Quantus in arma calor? quiuis Mauortia secum
Orsa recensebit, laudesque exurget in almas
Tanti Ductoris: Maiores nempe secutus
Fixit in æterna fulgentia nomina famâ.
Præcessêre Patres; quorum splendore perennis
Illustrat Patriam fulgor. quo robore? quantis
Viribus? emicuit quanta virtute JOANNES
CHOD-

CHODKIEWICZ? magno dotatus munere, sponsâ
Nepte JAGELLONIS: de tanto sanguine proles
Non minor emersit, Marschalcus Magnus auitâ
Virtutis patriæ decoratus imagine, magno (inde
Maior ALEXANDRO: processit HIERONYMVS
Principis Augusti extremas Legatus in oras.
Longa retrò series: prius alto sidera Cœlo,
Nomina quàm possis tantorum efferre virorum.
Tu tamen in nostris meritò memorabere metris
CHRISTOPHORE, æternis fluxure in sæcula riuis.
Illi metra tibi victuraque carmina sacrent,
Qui te Parnauiæ bellantem ad culmina sedis
Aspexêre: ibas Gradiui percitus œstro,
Ibas, inuictâ Martemque in fronte gerebas.
Quæ tua mens? quis vultus erat? cùm fortis in hostem
Fortem vibrares gladium? cùm primus in ipsos
Obsessos spectareris conscendere muros,
Te CASIMIRE decet patrijs insistere plantis,
Et te in Virtutem magnæque in nomina famæ
Maiorum virtus, & Patrius excitet ardor.
Adiunxêre suas ingentia lumina tædas
Ad CHODKIEWICIOS. TARLO sua stêmata misit,
TARLO decus LECHIÆ, quem claræ gloria famæ
Extulit ad superos, summaque in sede locauit.
KISZKAque Littalidûm generosus sanguis; & inter
Eximios præstans. In mutua vincula mittis
Tu RADIVILLE tuæ præstantia stemmata gentis.
Quis prælustre tuum nomen, famamque perenni
Æqualem sæclo, dignis ornare camœnis
Possit? Te pariter clarum mea carmina spectant
Magne GNIEWOSZ, quem nobilibus, semperq; serenis
Ornari trabeis spectatrix Patria gaudet.
Tu CHODKIEVICIIS affini sanguine iunctus,
Iunxisti binam, bino cum nomine famam.

TENCZYNIOS etiam, clarum genus, aurea vobis
Vincula iunxerunt: illos dum fama superstes
Sæcla per, æterno cumulatos nomine cinget,
In CHODKIEWICIOS manabit gloria compar.
Non impar sanguis DZIALYNIUS, æqua per orbē
Magnanimi lucem generis monumenta propagat.
At quæcunque isto nitet in splendore venustas,
In CHODKIEWICIAM sociali gurgite gentem
Influit, & titulos, & mutua stemmata miscet.
Estis Iô multi, quos mutua vincula stringunt
Cum CHODKIEWICIIS, & honoro fædere iungunt.
Sed vestras laudes, vestræ quis nomina famæ,
Aonio plectro, Cytharaque expromet eburnâ?
Ibitis in seri nunquam morientia mundi
Tempora, nulla dies memori vos eximet æuo
Semper victuros Nec Lilia luce minore
Augusto redolent Orbis per climata fluxu.
Vittatus Præsul, cristatus Ductor, eodem
Cingantur radio: crescant in mutua Ceræ
Vincula maiorum: de tanto fædere surgat
Posteritas, surgat fætus pietatis auitæ.
Tantis clarescet meritis per sæcula, quantis
In Patriam fulsit PACORUM gloria flammis.
Magnus Kiouiæ rexisti rura GEORGI
Sorte Palatini, te gloria iure perennis
Ambit, & æternos vouet haud moritura triumphos.
Tuque Polocenses quem spectauêre curules
Nate Palatinum, vestitus Iaspide fulua
Viuis, & irradias sanguis pulcherrimus alti
Luminis: à vobis radios hausêre minores,
NICOLEOS, patrioq; rubens STANSLAUS in ostro:
Subsyluana prior, Vitepscia culmina at iste
Cognato splendore adijt. Quis nomina magna?
Quis poterit dignè titulos numerare canendo,

Nominis

Nominis ornamenta alti? Domus vna Senatum
Continet, assumptique semel comitantur honores.
Hæc domus est, qua fulta salus victricis in æuum
Florescit Patriæ, viridique decora iuuentâ
Inuisis senij nescit squallere tenebris.
En STEPHANVS, Litalâ Gazæ olim Tutor in ora,
Nunc & Consilij, & Lithuani cura sigilli,
Altior assurgit, Magnumque sub æthera mittit,
Protruditque caput: trabeas, maioraque sumit
Jura potestatis: dabit inuiolabile fatum
Designata tuo capiti STEPHANE alme trophæa
Progeniemque tuam per patria compita ducet,
Vt se se in veterum florens spem inscribat auorum.
At tu Macte animis, istoque insignis honore,
Cerne vt longa nouos scribant tibi sæcula fasces,
Maioresque paret virtus, & sacret honores.
Talia Gryphs vigilem ducens per Lilia vultum
Talis sponsa meo est, inquit, quærenda Dynastæ.
Dixit: & acclini carpsit de germine florem.
Jnde hilaris, raptoque sibi de flore beatus
Areolas visit reliquas: hic cornua rauco
Murmure terribiles audita ciere fragores,
Expauit, pressitque gradum: sed Martius ales
Aduocat inuictas in corda audacia vires,
Et fert impauidum ad vocalia cornua gressum.
Lilia cernit ibi, roseo sed scripta cruore,
Nomen ibi RVDOMINA tuum, tua lumina cernit
Agnoscitque tubas; & Martia pectora gentis
Demiratur ouans: tum tales pectore voces
Egerit: ô cunctis æqualia cornua ceris!
Cornua diffusum famâ vulgata per orbem:
Pergite, & æternas laudum diffundite voces.
En ego vos capulo, forti vos casside pronus
Munio, & in vestras fundo mea stemmata ceras.
F 2 Iam

Iam Lituis Heroa meum, iam Cornibus almis,
Consecro, te Diuûm soboles æterna Parentum
Virgo, PACORVM decus intemerabile gentis,
In CHODKIEWICIÆ transplanto germina ceræ.
Talis sponsa meo est, inquit quærenda Dynastæ:
Dixit: & acclini carpsit de germine florem.
Iamque nouis diues spolijs, & flore superbus
Gryphs, patrij oblitus capuli, per florea rura,
Perque verecundos candenti germine flores
Incedens, Dominæ rutilantia Lilia fronti
Carpebat, magno texens pro vertice sertum.
Ecce WOLOWICIIS aduertit lumina Telis,
Quæ simili plantata modo, pro stemmate magnis
Concessêre PACIS, & amico fœdere iuncta.
Obuersæ spectant Cœlum, terramque sagittæ.
Cœlos nempe suis exornauêre fauillis,
Inde decus superis, hinc florens gloria Diuûm,
Hinc celsis sacrata Polis altaria. Compar
In PACIS cultus, compar reuerentia sacri
Numinis, & simili florentia pectora flammâ.
At, quod tellurem telum spectabat, amoris
Æternaturos Patriæ consecrat honores.
Talia tela meis Gryphs, inquit, congrua ceris
Ergo iungantur simili per mutua nexu
Vincula, & ambrosiæ coëant in fœdera dextræ.
Hinc CHODKIEWICIVS Patriæ, splendorq; iubarq;
Hinc PACIÆ bona Virgo domus, spes, lumen, honorq;
Talis sponsa meo est, inquit, quærenda Dynastæ.
Dixit: & acclini carpsit de germine florem.
Jam quod restat iter poscit decurrere: cristis
Phœbe inclusa nitet, stellæque decora fauillis
Candentes casto iaculatur lumine flammas.
Hanc circumspectus vigili dum lumine lustrat:
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis,
Excla-

Exclamat: placuêre mihi tua sidera Virgo:
Virgo places: qualis florentes Luna colores
Explicat, & patulum radians complectitur axem:
Talis sponsa meo, est, inquit, quærenda Dynastæ.
Dixit: & extremum carpsit de germine florem.
His plenus spolijs, & prædæ sorte grauatus
Effert se portis festiuus, & ante tuentem
Se prosternit Herum: Litalæ dignissime terræ
Splendor, & ad magnos iuuenis formate decores.
Quantus ades, dum te natiuo lumine cinctum
Conspicio, innumeros non paruo vertice supra es.
Tantus ades: sed quantus eris, dum candida fausto
Junges connubio patrijs cum Lilia Celtis.
Audierat voces Concordia proxima valuis,
Ergo intrat festina fores; & voce canora
Gryphs, ait; ensis vbi? quid candida Lilia laudas?
Bella tibi, galeæque truces, tractandaque tela:
Sed superi thalamis me præfecêre Penates,
Concordi stabiles ego vincio fœdere dextras,
Connubium pango; socias in fœdera mentes
Jungo, meus labor est concordes dicere sponsis
Leges, cura mea est animos vnire duorum.
Dixit: & ad raptos protendit brachia flores,
Inclusitque cauo vernantia Lilia serto,
Quod festiua locans lætantis vertice sponsi
Tali connubij firmauit fœdera voto.
Ite pares Sponsi, concordi currite cliuo
Vnanimes, similesque auidi spectate nepotes
Felices, faustique nimis, quêis ora tueri
Natorum, viridesque genas, addicta vouebunt
Stamina, & optatos non auferet Atropos annos.
Tradite vos Patriæ, coniuratosque labores
Fundite, ad æternas studijs contendite palmas.
Este precor memores, qua sitis stirpe creati.

Aſtra dabunt animos, Virtutem ſidera mittent:
Aſpirant ſuperi, liquidis vos ſidera riuis
Irrorant, ſtudijsque ſuis bona vota ſecundis
Promouet, audaces quæ vrget Fortuna labores.
Creſcite lux Litauûm, crebris vos Patria votis
Ambit, & in tantis ſenium ſolatur Alumnis.
Ite pares animæ, veſtro conamine ſplendor
Patrius exurget. Felicia pectora tædis
Accelerate ſacris: Pylios ego ſpondeo vobis,
Neſtoreosque dies: ducti meliore metallo
Decurrant vobis ſoles, florentia mundi
Tempora lethifero non tangent pollice Parcæ,
Sed noua præteritas extinguant gaudia curas.



EPIGRAMMA

Ex cognomento Sponſorum felix omen.

Jngens Sarmatici CHODKIEWICZ gloria Martis,
Et Martem & Martis fortia geſta refert.
At tu quam ſtabili ſibi Sponſus amore iugauit,
COGNATÆ PACIS fœdera Sponſa notas.
O pulchrum nexum Martis Paciſq; iugatæ,
Quem Virtus, prudens quem fabricauit Amor!
Dicite iam Vates omen, quod ſidera ſpondent;
Stirps hæc apta ſago fiet, & apta togæ.

Ad Perilluſtrem Sponſum

Alluditur ad illuſtre facinus primi CHODKIEWICIANÆ familiæ Conditoris, Principem Lithuaniæ humeris ſuis portantis; nec non de gentilitio Perilluſtris Sponſæ Lilio.

Quiſq; generis veſtri tam largâ luce micantis
Accendit Litauo primus in orbe faces;
Errantem per luſtra Ducem ceruice recepit,
Atque humeris, Phœbo ter redeunte, tulit.
Hæres tu tanti CHODKIEWICZ inclyte facti;
Cui feſtam lucem nunc Hymenæus agit.
Macte animo iam nunc paribus conſurge lacertis,
Te ſimilem, Patriæ, poſcit Athlanta, Salus.
Ac ſibi iure equidem te ſignat Patria ſedem,
Quippe nouo Patriam Lilij odore trahis.

H In

In Grypha & Sagittam Cruce insignitam Perillustris Sponsi, & Lilium Perillustris Sponsæ gentilitia insignia

ODE

At non profundo mersa silentio
Tenere mens est barbita, cùm nouus
Hymen ouantes per plateas
Lætitiæ inuehitur curuli;
Cùm delicatis plausibus ardua
Mirantis Vrbis mœnia personant,
Clangore cùm festo lyrarum
Villiacæ fremuêre ripæ.
Nunc ergo tandem prome reconditum
Latoë carmen, non humili iuuat
Vatem Camœnâ nuptiales
Ferre procul super astra Ceras.
Fallor; citato me præit impetu
CHODKIEWIANI Gloria Stemmatis,
Telum fatigatum triumphis,
Gryphsque suo metuendus Ense
Non inuidendum tende per aëra
CHODKIEWIANI Gloria Stemmatis,
Dum luce purâ fulgurantes
Impauido teneas volatu
Mundi officinas, hic vbi prodigus
Honor profusâ præmia dexterâ
Gaudet rependisse, & serenis
Ignibus asseruisse Ceras
Heröum; at altis sedibus ætheris
Te siste grato non sine Lilio,
Quod PACIANIS in Viretis
Vsque suis operosa curis
Colona Virtus fouit, & aureis
Recti ac Honesti nutrijt imbribus:

Quid

Quid dicam odorem! quo fragrante
Ipsa poli recreatur aula!
Quid albicantes commemorem inclyti
Floris pruinas? scilicet his benè
Sese colorat Candor, imis
Pectoris abditus in medullis.
Sic sic perennes laudis adoreæ
Nexæ iugali tendite vinculo;
CHODKIEWIANUM, PACIANUM
Astra super memorando nomen.

Ad eundem
Super eiusdem facinoris præmio.

At non CHODKIEVIOS dignâ mercede labores
Frustrari, meritâ Dux quoque laude iubet.
Virtuti pretium, cultæ data iugera glebæ,
Unâ quæ Phœbi luce Viator obit.
His reor in tantas se messes fudit ab aruis
Vestræ CHODKIEWICZ Gloria tanta domûs.
Terrarum gaudet spatijs Nascens; at Adulta
Ambiri Cœlo Gloria vestra volet.

DE SAGITTA CHODKIEVICIANA ET LILIO PAC.

De CHODKIEVICIIS bene condita tela triumphis
Tela per hostiles rumpere nata sinus.
Poscitis assueto nunquid decedere campo?
Nunquid Flora magis Marte placente placet?
Fœdere perpetuo nam castis Lilia culmis
Juncta simul vobis Pacificata manent.
Vos quia victrices Pax viderat ante sagittas,
Lilia nunc vobis in diadema dedit.




BIBLIOTH. UNIV.

